



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus  
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

Art. I. An Paradisus sit aliquis locus corporeus, in aliqua determinata  
mundi parte conditus, & in qua?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

Respondeo ex D. Thoma in 2. dist. 32. qu. 1. art. 1. Adamo per penitentiam, sicut & nobis per baptismum, restitui quidam iustitiam originalem, quantum ad suum primum & principaliorum effectum, qui est sanctificare animam, & subicere mentem Deo ut fini ultimo; non tamen propter eam absolute concedendum esse, quod per baptismum, vel penitentiam restituitur iustitia originalis: quia hoc nomen absolute prolatum denotat vel ipsam iustitiam adaequate sumptam, quatenus omnia dona & privilegia, quibus homo in statu innocentiae gaudebat, complectitur, vel saltem ipsam gratiam sanctificantem, prout formaliter est radix & origo illorum, & quatenus habet peculiarem illum modum informandi subiectum, & speciale illud dominium supra animam, quod supra exposuimus: illa autem sub hac ratione & formalitate, neque Adamo per penitentiam, neque nobis per baptismum restituitur, & multo minus per illa Sacramenta recipiuntur omnia illa dona & privilegia, quibus primi parentes in statu innocentiae gaudebant.

Objicies quinto: perfectiones illae, quibus iustitia originalis perficiebat corpus, subicendo illud animae; & appetitum sensitivum subordinando ipsi rationi, quamvis absolute essent supra naturam hominis, non tamen transcendebant totum ordinem naturalem, sed solum in tantum hunc ordinem hominem perficiebant, ut de dono integritatis disputatione tertia dicemus: Ergo illarum radix debebat esse ejusdem ordinis, atque adeo distincta a gratia sanctificante, quae omnino est ordinis supernaturalis.

Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam: nam sicut in Beatissimis dotibus corporis, quamvis entitativè naturales, & supernaturales solum quantum ad modum, non postulant pro radice in anima aliquem habitum naturalis ordinis, sed sufficienter eas inseruit gratia consummata patris, & visio beatifica, ut docent Theologi in tractatu de beatitudine: ita similiter gratia status innocentiae, licet esset entitativè supernaturalis, poterat esse radix & origo donorum integritatis, immortalitatis, & impassibilitatis ejusdem status, tamen illa essent naturalia quoad entitatem, & supernaturalia solum quantum ad modum: quamvis enim, quae sunt ordinis superioris, nequeant in re inferioris ordinis contineri, subindeque nec ab illis ullo modo produci; non tamen repugnat, quod ea, quae sunt ordinis inferioris, in re superioris ordinis, & per consequens effectus entitativè naturales in causis supernaturalibus eminenter concipiuntur: nam sicut causa aequivoca debet esse diversae speciei ac illius effectus, ita potest ad distinctum & superiorem ordinem pertinere.

## DISPUTATIO II.

De paradiso terrestri.

Vsque adeo breviter & involute de paradiso terrestri scripsit Moyses, ut ejus vetera & propria sententiam assequi; hujusque mirabilis loci naturam & qualitates penitus nosse, visum sit omnibus difficillimum. Unde Ambrosius de paradiso scribere ingressus, ita exorsus est: De paradiso adorandis sermone meo dicere estum nobis videtur incutere, quidam est paradisi, ubi sit, qualis sit, investigare & exam.

A planare cupientibus. Attamen, quia illius cognitio ad ea, quae de felicitate status innocentiae diximus, perfecte intelligenda prorsus necessaria est, disputationem istam praecedenti subnectimus, in qua, quae de paradisi terrestri natura, situ, magnitudine & amoenitate à SS. Patribus, & Doctoribus Scholasticis communiter dici solent breviter colligemus. & quis, quantum, & qualis locus fuerit, in qua mundi parte conditus, & an adhuc perseveret in terra, eam, quam poterimus, perspicuitate exponemus.

## ARTICULUS I.

B An paradisi sit aliquis locus corporeus in aliqua determinata mundi parte conditus, & in qua?

§. I.

Referuntur sententiae, & prior, seu probabilior eligitur.

PHilo libro de opificio mundi, & Origenes in 1. libris super Genesim, negant paradysum esse locum aliquem corporeum & terrestrem, & totam paradisi historiam à Moysè c. 2. Geneseos conscriptam, non literaliter, sed figuratè, & allegorice accipi debere contendunt: unde Origenes paradysum ponit non in terra, sed in tertio caelo, ad quod raptus est Paulus; per arbores paradisi virtutes Angelicas interpretatur; per flumina verò, aquas, quae supra firmamentum sunt. Item l. 4. ait: Quis verò ita idiota invenatur, ut putet velut hominem quendam agricolam, Deum plantasse arbores in paradiso, &c. Similia docere videtur Ambrosius in lib. quem de paradiso edidit, & epist. 42. quae est ad Sabinum, ubi recensitis aliorum Scriptorum varijs opinionibus, ut similis verò concludit, paradysum non fuisse locum terrestrem, sed quidpiam spirituale & intelligibile, quod ad mentem & spiritum Adamis oblectandum, & quodammodo in hac vita beandum, pertinebat. Augustinus etiam in l. de haeresibus c. 59. Seleucianos & Hermimianos refert negasse visibilem paradysum, & in eodem errore fuisse Franciscum Georgium refert Sixtus Senens. l. 3. Bibliot. annot. 106. Alij denique quos refert Hugo de S. Victore annot. in Genesim c. 2. docent paradysum, quem describit Moyses, non fuisse definitam aliquam regionem, aut certum quempiam terrae locum; sed nomine paradisi denotari universam terram, quae in primæva conditione ac statu suo ob eximiam bonitatem, amoenitatem, & fecunditatem erat tota quasi hortus quidam amoenissimus, & tanquam paradysus; quemadmodum Genes. l. 3. Sodoma & Gomorra fuisse dicuntur quasi paradysus Dei. Pro declaratione veræ & Catholicæ sententiae, Dico primò, paradysum, quem describit Moyses, locum fuisse visibilem & corporeum, non verò purè intelligibilem & spiritualem.

Probatur primò: nam ut rectè discuerit S. Th. 1. p. qu. 102. art. 1. quae de paradiso in Scriptura dicuntur, per modum narrationis historicae proponuntur: Sed in his, quae Scriptura sic tradit, est pro fundamento tenenda veritas historiae, alias nihil esset in Scriptura certum: Ergo ita est accipienda narratio Genesim de paradiso; non verò ad sensus purè mysticos & allegoricos pertrahenda. Unde Hieronymus Danielis 10. Philonem & Origenem pungit, & in illos allegoricos paradysum

paradisii Interpretes sic invehitur : *Contricescant eorum deliramenta, qui umbras & imagines in veritate sequentes, ipsam conantur evertere veritatem; ut paradisum, & flumina, & arbores puerit allegoria legibus se debere subtrere.*

3. Probatur secundo ex ipso textu Scripturæ sacre, & historia paradisi, quam scribit Moyses Genes. 2. plura enim, quæ in ea referuntur, non possunt ad sensum mysticum, & allegoricum trahi, sed necessarîo in sensu proprio & literali intelligi debent. In primis in hac proprietate sine dubio intelligenda sunt illa verba : *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave* : nam visus ibi propriè pro sensu corporeo, & verbum *vescendi*, pro corporali manducatione accipitur ; aliàs quod cap. 3. dicitur : *vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, &c.* non propriè, sed metaphoricè esset intelligendum, atque ita omnia, quæ de peccato primi parentis Ecclesia credit, falsa essent. Undè Epiphanius in Anchorato : *si non est (inquit) paradysus sensibilis, non est fons, non fons, non solia, non comedit Eva, &c. sed veritas jam sabulata est.* Deinde additur in eo loco fluvium fuisse ad irrigandum illum, eumque in quatuor flumina dividi, quorum duo, scilicet Tigris & Eufrates, adhuc suis nominibus cognoscuntur, ille in Assyria, iste in Armenia. Item Genes. 13. dicitur, quod universa regio Jordanis irrigabatur sicut paradisus Domini, & sicut *Agyptus* : ex qua comparatione rectè colligit Augustinus quæst. 27. in Genes. quod sicut terra Jordanis propriè & sensibilibiter irrigabatur, ita etiam paradisus; alioquin non rectè fieret comparatio; præsertim quia æquè fit ad irrigationem terræ Agypti & paradisi. Denique Adamus dicitur extra paradisum productus, ac in illo positus, ut operaretur, & custodiret illum, (id est ipsum coleret corporali & suavi exercitatione) & ex eo propter peccatum inobedientiæ à Deo ejectus, positusque in aditu ejus Cherubin, ut ipsum ab ejus ingressu prohiberet : *Scalia similia, quæ paradisum fuisse locum corporeum & terrestrem haud dubiè demonstrant.*

4. Ratio etiam id suadet : Cum enim homo corporalis sit, & vitam immortalem, & suo modo felicem ac beatam in terris acturus esset, si in innocentia perseverasset; decenterissimum fuit, divinæ providentiæ consentaneum, ut ipsum poneret in loco saluberrimo & jucundissimo, qui talitati esset proportionatus, & in quo omnia necessaria ad immortalitatem quandam corporis invenirentur : talia autem sunt, quæ Scriptura propriè intellecta de paradiso terrestri narrat : Ergo ille paradisus verè corporalis & terrestris fuit, non verò purè intelligibilis & spiritualis.

5. Favet etiam communis traditio Patrum Græcorum & Latinorum, qui id unanimi ferè consensu aperte profitentur; sed duos adducere sufficiet. Augustinum scilicet & Chrysostomum. Ille homil. 13. in Genes. sic ait : *Ideo Moyses describens paradisum, & nomen loci in quo erat, scilicet Edem, & plagam orientalem, quam spectabat, & nomina fluminum, & paradysum egredientium, ferè nota omnibus, tam subtiliter & accuratè enarravit, ut non liceret nugari volentibus decipere simpliciores, dicendo nullum fuisse in terra paradisum, sed in celo, & alias fabulas, suaque somnia jactando.* Nam si cum

Moses tantam in describendo paradiso diligentiam posuerit, nihilominus tamen fuisse nonnulli, fabulantes non fuisse super terram paradisum, multaque alià doctrina Moysi alienissima inducentes, & verba ejus aliorum, quam dicta sunt, detorqueutes : quid futurum fuisset, si non tam minutim, tam dilucide, & num tam enucleatè paradisum descripsisset ? Ille verò lib. 13. de civit. cap. 21 hæc scribit : *Nonnulli totum illum paradisum, ubi primi homines fuerunt, ad intelligibilia referunt, arboresque illas & ligna fructifera, in virtutes vitæ, moresque convertunt, tanquam visibilia & corporalia illa non fuerint, sed intelligibilia significandorum causæ, eo modo dicta vel scripta sint. Quasi propterea non potuerit esse paradisus & corporalis quia potest etiam spiritualis intelligi : tanquam ideo non fuerint dæa mulieres Agar & Sarà, & ex illis duo filij Abrahæ, unus de ancilla, alius de libera, quia duo testamenta in eis figurata dicit Apostolus. Nemo itaque prohibet intelligi paradisum vitam beatorum : quatuor virtutes, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque pietatem ; & ligna ejus, omnes utiles disciplinas ; & lignorum fructus, mores piorum ; & lignum vitæ ipsam bonorum omnium matrem sapientiam ; & lignum scientiæ boni & mali, transgressi mandari experientiam. Possunt hæc etiam in Ecclesia intelligi : ea melius accipiamus tanquam prophetica indicia precidentia futurorum : paradisum scilicet ipsam Ecclesiam, sicut de illa legitur in Cantico Canticorum : quatuor autem paradysi flumina, quatuor Evangelia ; ligna fructifera sanctos ; fructus autem eorum, opera eorum : lignum vitæ, sanctum sanctorum, atque Christum : lignum scientiæ boni & mali, propriam voluntatis arbitrium. Hæc & si quæ alia communi dicta possunt de intelligendo spiritualiter paradiso, nomine prohibente dicantur, dum tamen & illius litteræ veritas fidelissima, rerum gestarum narratiõne commendata credatur. Quibus verbis Augustinus aperte declarat, rectè atque utiliter consistere, qui descriptionem paradisi primò secundum sensum historicum & literalem exponunt, deinde per sensum mysticum ad interiores, & sublimiores quosdam rerum spiritualium & celestium intelligentias applicant.*

Dices secundo, Nominè paradisi terrestri non totam terram floribus, plantis, arboribusque ornatam, sed locum particularem in regione orbis determinatam sitam, debere intelligi. Ita S. Thomas loco citato, & sancti Patres super his alligati, præsertim Augustinus lib. 8. de Genes. ad litt. cap. 7.

Probatur manifestè ex Scripturâ, quæ ait paradisum in Oriente plantatum : tota verò terra nedum ad Orientem, sed etiam ad Occid. Aquilonem, & meridiem satis diffusa jacet. Deinde subdit, Deum è loco, in quo Adamum condiderat, ipsum in paradisum transtulisse, & postea in penâ peccati è paradiso eiecisse, & ante paradisum Cherubin constituisse ad custodiendam viam ligni vitæ : Sed Deus non creavit Adamum extra hunc terrarum orbem, ut ex illo in hunc transvehereur, nec ipsum eiecit in alium mundum, cum in hac nostra terra habitasse constet ; nec ante totum orbem Cherubin collocavit, ne primi parentes ex alio mundo in hunc irruerent : Ergo paradisus terrestri non est tota terra, sed aliquis locus particulis in regione orbis determinatus situs.

Dico tertio, paradisum terrestrem in Orientalibus partibus esse situm, non sub Equinoctiali, aut Zona torrida, sed sub Zona temperata

quæ autem regio illa sit, nihil certi definiri A  
possit.

Prima pars hujus assertionis est omnino cer-  
ta: Tam quia Genes. 2. in textu Hebraico, &  
translatione Septuaginta Interpretum dicitur:  
*Plantavit Dominus Deus paradisum in Edem ad Ori-*  
*entem*: Tum etiam, quia ut discit D. Tho-  
mas 1. parte quaest. 102. art. 1. *Paradisus conve-*  
*nienter in parte Orientali dicitur situs, quia creden-*  
*dam est, quod in nobilissimo loco totius terra sit con-*  
*stitutus: cum autem Oriens sit dextra cæli, ut patet*  
*per 1. libro Sapientum in 2. de cælo, dextra autem sit nobi-*  
*lissimam partem, conveniens fuit, ut in Orientali*  
*parte paradisi terrenus insitueretur ad Deo. Unde*  
*Isidorus in lib. Etymol. dicit, quod Paradisus*  
*est locus in Orienta partibus constitutus. Hinc Ex-*  
*positores historici perhibent, quod omnia aroma-*  
*ta sua viliissimi odoris circa loca maris orienta-*  
*lia, seu Indiarum nascantur, utpote quæ paradi-*  
*so terrestri sunt magis vicina. Alij verò obser-*  
*vant cum S. Thoma 2. 2. quaest. 84. art. 3. ad*  
*3. inde ortam fuisse consuetudinem orandi ad*  
*Orientem: nimirum quia versus eam partem*  
*paradisus terrestris, per quem spiritualis signi-*  
*ficabatur, conditus fuit.*

Secunda verò pars licet non sit ita certa, ac  
precedens, est tamen valde probabilis: nam li-  
cet sub Equinoctiali & Zona torrida multa re-  
perita sint temperata ac fertiles regiones, illa  
tamen ex natura rei non sunt hujusmodi, sed ex  
accidenti aliquo, ut ex opacitate ingentium ar-  
borum, aut ex leni ventorum flatu, ardorem So-  
lis temperant: Sed paradisum in loco omni-  
um amenissimo, & ex natura rei temperatissi-  
mo plantatum fuisse decet: Ergo nec sub Æqui-  
noctiali, nec sub Zona torrida, sed sub Zona  
temperata conditum esse verisimilius & proba-  
bilis est.

Denique quod regio illa orientalis, in qua pa-  
radisus plantatus est, certo designari nequeat, ex  
eo patet, quod nullæ sint ad hoc indicandum nisi  
levissima conjectura. In primis enim quod ali-  
qui dicunt, Paradisum terrestrum in Mesopota-  
mia fuisse conditum, eò quod juxta textum He-  
braicum, & versionem Septuaginta, dicitur  
plantatus in Edem ad Orientem, & Edem fuerit  
regio Mesopotamiae, ut colligitur ex 4. Regum  
19. frivolum est: quia hoc Edem Paradisi longè  
diversum est ab Edem Mesopotamiae, cum E-  
dem Paradisi cum quinque punctis, Edem verò  
Mesopotamiae cum sex scribatur, ut lingua  
Hebraice periti observant. Addo quod in ipso  
Paradiso oriebatur fluvius, qui inde divideba-  
tur in quatuor capita, quorum nomina sunt Eu-  
phrates, Tigris, Phison, & Geon: At in Mesopota-  
mia nullus ejusmodi fluvius oritur: fluunt  
quidem per Mesopotamiam Euphrates & Ti-  
gris, sed non ibi oriuntur, sed in Armenia fontes  
suos habent: Phison verò & Geon, neque in E  
Mesopotamia fontes habent, neque in ea ullo  
modo reperuntur: nam ut infra ostendemus,  
Phison & Geon sunt Nilus & Ganges, quorum  
primus alluit Ægyptum, secundus verò transit  
per Indiam. Ergo Paradisus terrestris in Mesopota-  
mia non fuit conditus.

Nec magis firmum aut solidum est, quod alij  
dicunt, nimirum Paradisum terrestrum propè re-  
gionem Damascenam fuisse plantatum: quia (in-  
quunt) constans Hebræorum & plurimum ex no-  
stris traditio est, Adam esse formatum in agro  
Damasceno ex *Adamah*, hoc est terra rubra, qua-

lis dicitur esse terra Syriae & Armenia: verifi-  
mile autem est, Adam propè paradisum terre-  
stem, in quem postea introductus est, fuisse con-  
ditum. Non, inquam, hoc magis habet firmita-  
tis: tum quia non est omnino certum, Adamum  
formatum fuisse in agro Damasceno: ait enim S.  
Anastasius Sinaita homil. 9. in Hexam. ignorari  
locum, ubi Adam compactus fuit, tum etiam  
quia esto quod Adam in agro Damasceno condi-  
tus sit, non rectè inde colligitur, Damascenam  
regionem proximam esse paradiso: cum tam fa-  
cile Deo fuerit, Adamum ex remoto, quam ex  
propinquo loco in paradisum transferre.

Demum valde incertum est quod alij asserunt, 12.  
nempe paradisum terrestrum in Indocytia fuisse  
positum, inter Indum & Gangem, prope Ace-  
sinem fluvium, eo loco, quo Hieroti celebri a-  
mini conjungitur: quia ibi plurimæ sunt ficus In-  
dicæ, ex quarum folijs, quæ miræ sunt magnitu-  
dinis, dicunt primos parentes fecisse sibi perizo-  
mata, quæ Genes. 3. memorantur. Hanc enim  
conjecturam levissimam esse, convincit, quod  
ficus Indica per totam Indiam, etiam ultra Gan-  
gem progerminat.

## ARTICULUS II.

*Præcipua objectiones solvantur.*

Obijcies primò contra primam conclusio- 13.  
nem: Quod dicitur Genes. 3. de ambulatione  
Dei in paradiso post meridiem, non potest in  
sensu proprio & literali intelligi, cum Deus in-  
corporeus sit: Ergo nec alia, quæ de paradiso  
Scriptura capite præcedenti refert, sed ea ne-  
cessario ad sensum spiritualem & mysticum per-  
trahi debent.

Respondeo primò negando Antecedens: Nam  
deambulatio illa facta est per Angelum, Dei  
personam representantem in corpore assum-  
pto, ut docet D. Gregorius lib. 28. Moral. c. 3.

Respondeo secundò, dato Antecedente, ne-  
gando Consequentiam: cum enim Deus sit in-  
corporeus, nequit ejus deambulatio intelligi  
corporaliter, quæ facta per ipsum, nullo assum-  
to corpore, sine maximo absurdo & inconveni-  
enti: At nullum absurdum & inconveniens se-  
quitur, quod de paradiso corporali & visibili  
intelligantur ea, quæ describit Moyses Genes.  
2. & 3. ut ex infra dicendis patebit.

Obijcies secundò: Apostolus 1. ad Corinth. 12. 15.  
scribit se raptum fuisse in tertium cælum, & con-  
tinuò id ipsum repetens, dicit se raptum in para-  
disum: igitur non in terra sed in tertio cælo est  
paradisus, ut docuit Origenes supra relatus.

Respondeo non esse eundem paradisum in quo  
Adam fuit positus à Deo, ac in penam peccati  
ab eo expulsus, & in quem raptus fuit Paulus: ut  
rectè docet commentarius S. Ambrosii ascriptus  
in c. 6. prioris ad Corinth. Nam hoc nomen *Para-*  
*disus*, æquivocum est, & tripliciter in Scriptura  
usurpari solet, primò pro loco amenissimo, in  
quo Adam ante peccatum fuerat positus: secundò  
pro cælesti patria, in qua Sancti locentur, &  
Dei visione perficiuntur: tertio pro ipsa clara  
Dei visione, ubicunque sit, sive in cælo, sive in  
lymbo inferni: unde Christus dixit latroni Lucæ  
23. *Hodie mecum eris in paradiso*, id est in visione  
Dei, quamvis eo die uterq; ad lymbum descen-  
derit. Quando ergo Apostolus dicit se raptum  
fuisse in paradisum, nomen paradisi in secundo,  
vel tertio, non verò in prima acceptione usurpat.

Obijcies